



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Prima

urn:nbn:de:hbz:466:1-36521

IN IONAM

ritu. Sed de his nunc satis, nunc Ionæ historiam per allegorias tractabimus, quarum tres esse inuenies.

PRIMA

Ionas Hebraice significat columbam, nunc in nouo testamento scimus in columbæ specie aduenisse & missum esse spiritum sanctum, Lucæ 3. & Iohannis 2. & in primis manifesta reuelatio spiritus que facta est ad ebuccinandum Euangelium in toto mundo, & nomen Iesu Christi. Sic ut Ionas hic suo uocabulo, typus sit spiritus & officij ac ministerij quod in mundo obit, spiritus nempe Euangelij. Nam omnes Apostoli & ministri Verbi, debent esse Ionæ et columbæ, id est, habere spiritum ut nihil ex sese, sed omnia ex spiritu sancto doceant & faciant, quemadmodum & Christus Matth. 10. discipulis suis iniungit, Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, id est, prædicate Verbum Dei pure & simpliciter, nihil addentes, ut suggerit spiritus uobis, & circumspecte ambulantes, neminem tamen malis artibus tractantes. Ninue sonat Hebræis pulchrum aut formosum, quemadmodum urbs splendidis ædificijs ornata, formosa est. Atq; ea est typus mundi, opibus, uoluptatibus, sapientia, honoribus, & hypocritica sanctitate florentis. Sed hæc tota species nihil est, quam abominatio coram Deo. Quod autem hæc Ninue audit Verbum, & induta

& induta saccis, sedens in cinere, agit poenitentia,
 indicatur quid operetur & agat Verbum Dei in mut
 do. Per Verbum haec omnia cuertuntur, ut homines
 de sua iusticia, robore, opibus, breuiter omnibus hu
 manis desperantes. Contemptis uoluptatibus & ho
 noribus omnibus mundi, agnoscant suum peccatum,
 infirmitatem, miseriam, ut pudefiant coram Deo,
 ingenue se profitentes miseros et peccatores. Hoc
 est uere sedere in cinere, saccis indui, & ieiunare.
 Ibi etiam iumentis indicitur ieiunium, id est, corpo
 ra sua ibi castigant homines, & in seruitutem redi
 gunt &c. Quod autem Ionas e iudaea mittitur in ter
 ram longinquam, innuitur spiritum & Verbum Dei
 auferendum esse a iudaeis, & dandum gentibus, quae
 admodum Christus Matth. 22. dicit, Amen dico uo
 bis, auferetur a uobis regnum, & dabitur genti fa
 cienti fructus eius &c. Quod autem Ionas ad ma
 re fugit, & tot ac tantis periculis exercetur, cru
 cem & afflictiones significat, quibus Euangelium in
 mundo undiq; premitur. Semper ministerium Ver
 bi uidetur imbecille, & fugienti simile, solentq; ini
 tio omnia apparere desperata, quasi iam ruitura.
 Nihil infirmius, nihil stultius uidetur esse Euange
 lio, eo quod concionatores & Apostolici tales sunt fu
 gitui, id est, imbecilles, & contempti homines.
 Mare, id est mundus ille ut est potetissimus, ita ubiq;

I N I O N A M

furit & insanit. Cetus autem est horribilis, & suo
 immani rictu & dentibus illis trabali magnitudine,
 hoc est, Sathan terribilis est & formidabilis, & mi-
 natur, infrensus suis dentibus, id est, insultat pijs
 potentia Regum, principū, nusquam non in pericu-
 lum & cadem intentans. Sed tamen Ionas mirabi-
 liter seruetur diuina potētia: & Verbi cursus, neq;
 fuga Ionæ, neq; tempestatum ac maris saeuitia po-
 test impediri. Sed omnibus periculis superatis per-
 rumpit, tandem peruenit Ninue. Ita etiā, licet mi-
 nistri Verbi per omnia uideantur infirmi, uiles, &
 contempti, mundus ubiq; in præcellenti splendore
 & potentia, tamen Dei Verbum & Euangelium, est
 contra hæc omnia inuictū & longè potentius. Pro-
 inde si semel in uniuersum omnes possent occidi, et
 quasi absorberi concionatores, tamen idipsum tan-
 tum uires adderet Euangelio, tamen eo concita-
 tior & fortior futurus esset cursus Verbi, sciscitan-
 tis alijs, & sic pudefacta omni sapientia & iusticia
 mundi, ut uideamus in Apostolis accidisse. Hæc ad
 nostram consolationē scripta sunt, ut nec nos terri-
 amur huius maris tempestatibus, & huius tanti ce-
 ti rictu, certi fore, ut nostrum quoq; Verbum felici-
 ter uincat, & nostrum Euangelium potentius sit his
 omnibus.

S E C V N D A.

Altera est de spiritali persecutione, quomodo
 agatur